

1152
1776,25.
Q V A E S T I O
I V R I S C O N T R O V E R S I
A N
R E S V E N D I T A
N O N V E R O T R A D I T A
S I P O S T E A C O N T R A C T V S E M T I
I M P V G N E T V R F I A T L I T I G I O S A

Q V A M

I L L V S T R I S I C T O R V M O R D I N I S G R A T I A
P R A E S I D E

D. C H R I S T I A N O H E N R. B R E V N I N G

P R O F E S S. P U B L I C. O R D I N A R. I V R. N A T. E T G E N T.
E T S O C I E T A T. L I T E R A R. D V I S B V R G E N S.

S O C I O

I N A V D I T O R I O I V R I D I C O

D I E X X V I I. I A N. A N N O C I C C C L X X V I


D E F E N D E T

I O A N N E S C H R I S T I A N V S R I E M S C H N E I D E R

G R O S - N E V H A V S. T H U R I N G.

L I P S I A E

E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A.





AN
RES VENDITA
NON VERO TRADITA,
SI POSTEA CONTRACTVS EMTI
IMPVGNETVR, FIAT LITIGIOSA?

§. I.

Iam Decemuiri olim rerum de quibus lis erat dedicationem in sacrum improbabant, ita tamen, ne dedicationem rescinderent, quae rescindi non poterat, ob sacrorum autoritatem, eum tamen, qui dedicauerat, in duplum condemnabant, res ipsa vero sacra manebat. At alia alienatio litigiosae rei antiquo iure haud prohibita, ut monet *cviacivs in Paratit. ad C. de litigios.* Postea vero, ne grauior fieret proprietarii veri causa interueniente alienatione exceptio litigiosi inuenta atque data, qua ille repellebatur, qui rem ultius petebat, ut si vendita, donata, in pignus data, hic

* 2

exce-



exceptione litigiosi emtor, donatarius vel creditor repelletur. Enatum deinde, vt rerum litigiosarum alienatio iure improbata videretur. Nunquam vero omnis rei litigiosae alienatio improbatatur atque quam Leges scribunt exceptionem litigiosi datur, nisi voluntaria sit alienatio atque vexandi adversarii ergo fiat. Quod si ergo possessor rei, de qua ipsi lis mota, vel doriaret, vel venderet, vel permutaret, vel pignori vel in emphyteusin daret illam rem, improbanda erat alienatio. Non vero, vbi vexandi animus cessabat, alienatio legibus improbabatur atque litigiosi exceptio dabatur, vt pote si testamento vel codicillis litigiosa res esset relicta. Ita sane est Constitutio GRATIANI, VALENTINIANI ET THEODOSII AAA: in L.3. C. de litig. Scriptum est: *Quicunque rem litigiosam vel ambiguum chyrographum quodlibet denique mobile vel immobile fisco nostro, vel potentiore seu aliis personis in TESTAMENTO vel CODICILLO legauerit, fideiue commiserit, aut per hereditatem reliquerit, nullam fiscus noster vel alia persona licentiam habeat iurigorum, nec iudicium subeat. caet.*

§. II.

Neque illa prohibitio litigiosae rei non alienandae ad eam pertinet speciem, quae ex necessitate fit, vt pote ex transactione et divisione rerum hereditiarum, vel si dotis datio, vel propter nuptias donatio alienationis causa est. Probat CONSTITUTIO IVSTINIANI in L. vlt. C. de litig. Sic enim constituit: *Exceptio videlicet huius sanctionis dispositione his, qui vel dotis nomine, vel ante nuptias donationis, vel transactionis, aut divisionis rerum hereditarium factae, vel per legati, vel per fideicommissi causam tales res vel actiones dederint vel acceptent.*

§. III.

§. III.

Quae vero res litigiosae dici possint, quorumque alienatio prohibita, patet ex ipsa IUSTINIANI explicatione, quae continetur in NOVELL. CXII. cap. I. Verba sunt; Ideoque sancimus litigiosam dici et intelligi rem mobilem seque mouentem, de cuius dominii causa inter petitorem et possidentem mouetur, aut per iudicariam conuentionem, aut per preces principi oblatas et insinuatas iudici per eum aduersario interpellatoris cognitas, in his enim casibus etiam praeteritam constitutionem mansuetudinis nostrae posthat volumus obtinere, caet. Quaelibet ergo res, sive corporalis, sive incorporalis, sive mobilis, sive immobillis litigiosa fieri potest. Sed distinguendum est, an res ipsa, an actio aliqua competens litigiosa fiat. Si de actione sermo est, quaelibet actio litigiosa fit, sed iure veteri tunc actio litigiosa fiebat, si instituta atque lis contestata, ut probant ex L. I. π. de Litig. conf. Ilustr. WINCKLERVM diss. de discrimin. litis contestat. Iure veteri. et hodiern. At si ipsa res, de qua lis mota litigiosa haberi debet, recte monent ICti, tunc eam litigiosam fieri, si actione reali agatur, seu ut exprimit BERGERVS in Oeconom. Iur. L. III. V. v. Th. V. n. 18. modo de dominio, vel quasi controuertatur. Hinc THOMASIVS ad Huberum Tit. de Litigios. §. 3. et alii recte adfirmant, si actione personali agatur, non rem fieri litigiosam, sed institutam tantum actionem litigiosam dicendam. Quapropter, si res vendita non tradita sit Caio, isque emti actione, quae personalis est, agat, nunquam recte dici potest ipsa res litigiosa. Dixerat enim IUSTINIANVS cit. Nou. de cuius dominii causa inter petitorem et possidentem mouetur. Actio vero emti instituta non agit de dominii causa, sed ut venditor ex sua parte contractum rem traxendo adimpleat.

* 3

§. IV.



Si IV.

Quae cum ita sint, ipsam propositam quaestionem dabis-
mus, videlicet *an res vendita non tradita, si postea contractus em-
ti impugnetur, fiat litigiosa.* Fac Seium vendidisse Sempro-
nio fundum, perfecto contractu vero, prout erat conuentum
ipsemet Seius fundum haud Sempronio tradit, cum vero tra-
dendum fundum vrgeret, lis orta inter Seium atque Sempro-
nium de ipso contractu, an valeat nec ne, Seius negat valorem
contractus venditi, quem tamen obtigatorium pronunciat
Sempronius. Dum haec in foro aguntur, Seius a creditore
conuentus alio, sit Titius, huic in fundo antea vendito, non
vero tradito, pignus constituturus erat. Sempronius, qui
putabat, se hoc pignore constituto laedi, impediebat reme-
diis adhibitis, ne posset Titio in illo fundo pignus constitui,
ducto argumento ex eo, quod ille fundus res esset litigiosa,
cuius alienatio legibus haud esset permissa, cum dando in pi-
gnus quoque alienatio fieret. Quae situm est, an actio illa
super valore contractus venditi inter Seium et Sempronium
agitata, fundum vere litigiosum faciat.

§. V.

Sane quamvis Sempronius ex contractu fundum a Seio
emti actione petere potest; ut propterea videri posset fundus
obiectum litis motae; imo negari nequit, Sempronio ius ad
fundum tradendum habere, vbi enim vendor ex contractu
ad rem venditam tradendam obligatus est, ibi in entore ius
perfectum esse debet ad exigendam rei traditionem; tamen
nunquam adfirmabo, propterea fundum esse litigiosum fa-
ctum lite hac inter Seium Semproniumque super contractus
emti venditi valore mota. Concludo enim, si verum est,
quod lis mota de dominii causa tantum, ut est in Nouell. cit.
seu



ieu vt BERGERVS cit. loc. exprimit, de dominio vel quasi controuertatur, litigiosam rem faciat, atque THOMASII aliorumque sententia vera est, per quam actione personali instituta res litigiosa non fit, consequimur fundum illum pro litigioso haberi non posse, vt eius alienatio legibus improbata.

§. VI.

Quapropter facile patet ex hoc, quod ille fundus venditus nec vero traditus, vbi postea lis mota fuerat, an contraetus de illa re initus valeret, alienationem non improbari, quasi res litigiosa esset. Quodsi ergo alia non adsit causa impediens pignoris constitutionem; sane uunquam personalis illa actio, licet etiam emti actio instituta sit, vt res tradatur, ex eo, quod personalis est, fundum litigiosum efficiet. Vbi ergo fundus litigiosus non est, nec ille, quamuis venditus, tamen non traditus, ideoque emtori dominium non competit, ipseque adhuc vendor fundi dominus existat, nullam fane video causam, propter quam vendori oppignoratio illicita pronuncianta. Cedo alias adesse posse causas, propter quas alienatio illa permittenda non sit, sed has non vrgeo, vnicam hanc quaero, an propterea, quod litigiosa sit, alienatio fundi prohibenda, quod per adducta argumenta negandum videtur.

§. VII.

Quae cum ita sint, non dubito, quin falsam pronunciem rationem decidendi, qua yli Sententionantes in causa S. contra F. immassen denn auch mit einer streitigen Sache, so lange sie dieses zu seyn nicht aufgehört, einige Aenderung zu treffen keinem Theile die Rechte erlauben. Emerat enim S. fundum, quem eidem vendor haud tradiderat, vt postea contra eum actione emti agere cogeretur. Dum haec actio emti peragitur, vendor execu-



executiae conueatus ab F. impetrata executione obiectum ex-
ecutionis fundum venditum oblatum accipit a venditore. In-
teruenit S. negans F. potuisse ius in re per executionem in eo
fundo impetrare. Pronunciatum est: F. ius in re non com-
petere, interque rationes decidendi ea, quam adscriptissimus
expressa erat. Hanc vero obinde spuriam arbitror rationem.
Verum equidem est, quod emti actio instituta litigiosa sit fa-
cta per litis contestationem, ut eam actionem emtor vendere
vel cedere non potuisset. Sed propterea fundus ipse litigio-
sus factus esse nequit. Cum enim per leges expressas eae actiones,
quae dominii causam vrgent, rem tantum litigiosam fa-
ciant, non aequae personales actiones, emti vero actio sit per-
sonalis, et ea ad obligationem a venditore adimplendam aga-
tur, non vero dominii causa in illa subsit, minus commode
pronunciari potuit, fundum illum esse eine streitige Sache, an
der keine Aenderung zu treffen, hoc est, quae alienari non
potest.



Leipzig, Diss., 1776 A-G

f



TA-701

aus 34 Steck bisher verku.

V₁

18

1776, 25.

QVAESTIO
IVRIS CONTROVERSI
AN
RES VENDITA
NON VERO TRADITA
SI POSTEA CONTRACTVS EMTI
IMPGNETVR FIAT LITIGIOSA
QVAM
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
PRAESIDE
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING
PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.
ET SOCIETAT. LITERAR. DVISBURGENS.
SOCIO
IN AUDITORIO IVRIDICO
DIE XXVII. IAN. ANNO CCCCCLXXVI.
DEFENDET
IOANNES CHRISTIANVS RIEM SCHNEIDER
GROS- NEVHAUS. THVRING.

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIA.

